BnF Gallica

Diversarum gentium armatura equestris / . Ubi fere Europae, Asiae atque Africae equitandi ratio propria expressa est. [...]

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

{BnF Gallica

Bruyn, Abraham de (1540?-1587). Diversarum gentium armatura equestris / . Ubi fere Europae, Asiae atque Africae equitandi ratio propria expressa est. Abrahamus Bruynus excude, [cum praefatione H. Dammani et A. de Bruyno]. [s.d.].

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF. Leur réutilisation s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :
- La réutilisation non commerciale de ces contenus est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source.
- La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service.

CLIQUER ICI POUR ACCÉDER AUX TARIFS ET À LA LICENCE

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

- des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.
- des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter
utilisationcommerciale@bnf.fr.



Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France



Réserve.
G
Zane.
Z. 3681.

1337

Tapperiens aseran

H

BIBLIOTHEC. REGIAE

DIVERSARVM
GENTIVM ARMATVRA
EQVESTRIS.

Vbi fere Europæ Asiæ atq3
Africæ equitandi ratio
propria expressa
est.

Abrahamo Bruÿnus Excude.

Z 3681



ΕΙΣ ΙΠΠΟΝ

ΑΔΡΙΑΝΟΣ Ο ΔΑΜΜΑΝ

ΓΑΝΔΑΙΟΣ.

Τἆλλα μὲν ἀνόρεον δαιδάλλει Κτήσιος ὄλβον,
Ἵππος δὲ κτεάνου ἔξοχα παντὸς ἔφυ.
Ἵππος μοιριδιᾶν χαρίτων νενεμαμένος ἄνθεα
Ἀνδρὸς ἐϋκλείαις, καὶ προσέμιξε κράτει.
Εἴ τινι θαρσύπονοι ἀρετᾶς ὑπόκεινται ἀγῶνες,
Εὔσκαρθμον παρέχει ἐν τροχίαισι δέμας.
Εἰ δ' ἀέθλων γ' ἕνεκεν καὶ ἐρίζεται ἅρματος ἰθύς
Τέρμα φαληριόων δωδεκάγναμπτον ἐλᾷ.
Εἶα· μοναμπυκίας σεῦ ἦτορ ὁ ἵμερος ἔσχε,
Γυροδρόμους δώσει νωτοφόρος θ' ἕλικας.
Ἴχνια γαυριόων χαμάδες καθυπέρθερα θήσει,
Εὐρύθμους κροτέων ἀλλοπάραλλο κρότους.
Ἐς πόκα συρράξεις στυγεροῖς ἐπιμαίνεται ὅπλοις,
Ῥινία δριμείαν πομφολόγιζε χολάν.
Θήρατρον δ' ἀσκεῦντι πτερωταῖς ἔκθορεταρσοῖς,
Ταῖς ἐλάφοις ὀργᾷ καὶ ἰσάμιλλα δραμεῖν.
Ἱππείου ἐπίλοιπα γένευς παραμείβομαι ἴδρις,
Ὅσσα παρ' ἀγραύλοις, ὅσσα κατ' ἀστὺ κονεῖ.
Ἔμβραχυ· κώνειαρ, καὶ λῆμα, καὶ ἴσχυος ἀκμαὶ,
Καὶ ταχύτας πώλους ἐστεφάνωσε ποδῶν.

GEORG. BVCHANANI DE EQVO ELOGIVM.

Cætera rerum opifex animalia finxit ad vsus
Quæque suos, equus ad cunctos se accommodat vnus:
Plaustra trahit, fert clitellas, fert esseda, terram
Vomere proscindit: dominum fert, siue natatu
Flumina, seu fossam saltu, seu vincere cursu
Est salebras opus, aut canibus circundare saltus,
Aut molles glomerare gradus, aut flectere gyros,

* *Libe-*

Libera ſeu vacuis ludat laſciuia campis.
Quòd ſi bella vocent, tremulos vigor acer in artus
It, domino & ſocias vomit ore & naribus iras,
Vulneribúſque offert generoſum pectus, & vnà
Gaudia mœrorem ſumit ponítque viciſſim
Cum domino: ſortem ſic officioſus in omnem,
Vt veteres nobis tam certo fœdere iunctum
Crediderint mixta coaleſcere poſſe figura,
Inq; Pelethroniis Centauros edere ſyluis.

IN ABR. BRVINVM HADR.
DAMMAN GAND.

LAureolam palmámque Myron concede Bruino,
Victus es ingenio, victus es arte viri.
Bucula te celebrat, ſed huic equus addit honorem,
Huius equus graditur, bucula fixa ſtetit.

Idem:

Græcia da veniam, cogor ſi dicere verum,
Noſtra tuas genio Flandria vincit opes.
Pyrgoteles ſcalpro minor eſt, cælóque Philiſcus,
Peniculíſque dedit Cœs ſuperata manus.

Loci vacuitas ſuaſit παῦτ' ἐξυπογήκ.

HADR. DAMMAN

GANDAVVS, ET ABRAHAMVS BRVYNVS ANTWERPIANVS

S. D. Lectori.

E animalibus ad homini ſeruiendum procreatis nullum omnino genus eſt, belli paciſque temporibus, neq. tam neceſſarium, neque tam elegans, quàm equorum. Vtilis quidem ad arandum bos, ad ferendum barrus, camelus, mulus, aſinus, ad venandum canis, ſed omneis omnium vſus & vtilitates vna equi præſtantia complexa eſt. Neque aliud vllum animal cogitari poteſt, quod virilis animi magnitudinem melius adiuuare, altiuſque euehere ad honores & gloriam conſuêuit. Atque adeò videtur natura equum fingere ſic voluiſſe, vt nobilium virorum facinora omnia magna atque illuſtria habitu corporis & animorum dexteritate, in prœliis, in triumphis, in ceteris pariter proſequeretur. Sed de laudibus equi ſigillatim aliquid dicere nobis propoſitũ nõ eſt, ne dum ingenij & orationis tenuitas deterreret magnitudinẽ rerũ, moleſtos potiùs fuiſſe nos quàm iocundos intelligeremus. Omnium enim hominum nulla gens neque tam barbara, neq. tam fera vmquam fuit, quæ equos alere, & in iis ſeſe oblectare magno ſtudio, ſumma cum voluptate non conſuêrit. Primos tamen Lapithas frænum inueniſſe tradit Virgilius Georgicis:

Fræna Pelethronij Lapythæ, gyróſque dedêre
Impoſiti dorſo, atque equitem docuêre ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

Etſi Pindarus Bellerophonti à Minerua datum eſſe ſcribit, quo Pegaſum regere ac moderari poſſet. Sic enim Olym. Od. ιγ.

Ὅς τᾶς ὀφιώδεος ἐ——
όν ποτε Γοργόνος, ἢ πόλλ' ἀμφὶ κρανοῖς
Πάγασον ζεῦξαι ποδέων ἔπαδε,
φρίνγε οἱ χρυσάμπυκα κό——
σα χαλινὸν Παλλὰς ἤνεγ——
κ'. ἐξ ὀνείρα δ' ἀυτίκα
ἦν ὕπαφ.——καὶ τὰ ἑξῆς.

SEd cùm illi ceteris in rebus quamplurimis equus homini eſt adiumento, tum in belli laboribus ſingularem ſemper præbuit vtilitatem: Romani tamen longo tempore rempublic. pænè ſine equis, ſolo robore legionum, optimè geſſerunt, donec tandem bello Punico etiam equitatus P. R. plurimum valere cœpit. Illud quoque præterire non poſſum, licet breuiſſimus eſſe cupio, magnum eſſe affectum in equis & amorem erga dominos, quibuſcum pericula adierunt: nam ſi aliquid eis acciderit, etiam lacrymis id ſibi dolere oſtendunt: vt Pallantis ille equus apud Virgilium:

Poſt bellator equus poſitis inſignibus Æthon
It lacrymans, guttíſque humectat grandibus ora.

Atque item ille tam pius in dominum, quem Sillius Italicus deſcribit:

Agnouit ſonipes, arrectíſque auribus acrem
Hinnitum effundens ſternit tellure Vagaſum
Quem tunc captiuo portabat in agmina dorſo;
Hinc rapidum glomerans curſum per lubrica pingui
Stante cruore ſoli, & mutilata cadauera cæde,
Euolat, ac domini conſiſtit in ora iacentis:
Inde inclinatus collum ſummiſſus & armos,
De more inflexis præbebat ſcandere terga
Cruribus, ac proprio quodam trepidabat amore.

NOs igitur hiſce tabulis noſtris exhibere ſtuduimus, amice lector, Europæ, Aſiæ, Africæ equeſtrem omnem habitum atque ornatum, quem domi, militiæque, celeberrimæ orbis terrarum nationes nunc haberent. De quib. ſingulis in indice commemorabo, Vale. Colon. cIↃ.IↃ. LXXVII. Idib. Iulij.

INDEX IMAGINVM SINGVLARVM.

1 TVbicinum Germanorum iſtiuſmodi ferè habitus eſt equeſtris. Chlamydulam geſtant atri coloris, multiſque & continuis retroverſus plicaturis ſub vmbilicum adſtrictã: Eam fortaſſis non ineptè diploidem Græco nomine appellaris. Fateor & Chlamyda eſſe Græcam vocem, ſed ita Latina ciuitate donatam, vt mores quoque olim didicerit Romanorum: neq. enim aliter Plautus chlamydulam ἀντὶ τοῦ χλαμύδιον dicere potuiſſet. Vſurpat tamen Ludouicus Viues, vſurpant quoque alij diploidem Latina prorſum ratione. Sed Grãmaticari deſiſtã, vt κατ' ἀνα-

ἀναλογίαν ita loquar. Focalis loco vel ferream vel argenteam vel etiam auream habent fibulam. Manicis vtuntur laxissimis more cõmuni Germanorum, sed apud alias nationes tantùm non ridiculo atque contempto. Sicam ferunt in zona transuersam, cuius vaginę posterior pars veluti inglobum desinit. Et ephippio anteriore suspendunt manuaria tormenta bina.

2 Tubicinem sequitur adolescens domi nobilis eodem prorsus habitu militari, qui ante principes viros equitare consuêuit: aut alius puer ingenuus, qui ante nobiles præcipui loci atque ordinis obequitat galea frameaque breuiore conspicuus.

3 Principes Germani & Comites & Barones ad eum pænè modũ quem tertio loco expressimus equitant vestibus ceterisque rebus adornati. Sago plurimum holoserico vtuntur, aut laneo prætexto. hiberno tempore intectum rhenonibus corpus tegunt, vt Salustij istud verbis efferã. Chirothecas ex eadem materia laxas habent, quæ manicis itidem laxis non informi proportione respondeant; in his altera habẽt digitalia; digitis & pollice per fissuras chirothecarum ad celeritatem expeditis. A pectore in tergum venatorium cornu multis fimbriis & decoro nexu elegans sępissimè ex argento inaurato dependet. Caligæ multo serico sunt lacinioſæ. Ocreæ valde astrictæ. Gladij & sicæ capulus argẽteus: vagina sicę argentea, egregij operis & multis imaginib. formosi. Ensis vagina & summa & infima parte multo argento pręfixa. Vmbellam gestant seu viatorium pileum holosericum cum spira plurimùm aurea, & emblemate: vbi ferè simul fluctuat plumarum fasciculus. Equi grandes sunt, & benè habiti, freno antilenaq. & postilena pulcerrimè phalerati. Capistrum vel ferociæ causſa vel elegantiæ adhibetur operis non contemnendi. In summa, & pulcritudine virorũ & equorum robore ac ornamentis, & equos curandi solicitudine, & dexteritate equitãdi nobiles Germani omnes facilè nationes quaquà patet orbis terrarum, si prorsus quidem nõ anteuertunt, æquant profectò.

4 Ad eum morem equitant nobiles viri Germani. Vtuntur tamen illo veluti signo nobilitatis, quo principes, vti suprà ostensum est: nodũ illum dico in tergo pensilem, præsertim si vel diuitiis opulenti sunt, vel honoribus domi militiæ ue insignes.

5 Eques gregarius habitu proprio Germanorum. Soliti autem sunt Germani equites (quod augẽdi roboris causſa fieri prædicãt) suis equis caudam accidere, aliqua tãtum parte setarum relicta, quas deinde religant, in nodumque fimbriato vinculo colligunt.

6 Cacula equitis Germani qui in ſtabulo equorum, ceteriſque in locis omni tempore præſto eſt.

7 Eques ab armorum colore Niger appellatus. Tales ſolent equites eſſe Cimbri, Brunſwicēſes, ceteríque Saxones maritimi: qui à Belgicis gentibus Orientales nominantur. Vt ipſis certè ſunt dimenſo deſcriptóque politu regionum. Germani eos Saxones vocant Inferiores; vt nuncupari plurimùm videmus eos qui ad maria vergunt; aut ad fluuios celebriores. Illi præter tormenta equeſtria ceſtram ferunt, quam alij Amazoniam ſecurim nominant.

8 Signifer equitum Germanorum integra armatura, balteo tenus, & paludamento lanceaque inſignis, de cuius lanceæ propemodum ſummitate vexillum dependet.

9 Æneatoris apud Germanos vſus quidem eſt, ſed non vulgaris, vt apud Italos atque Hiſpanos. Nam domi ſub prandium ac cœnam hoc genere tympanorum vtuntur Imperatores, Duces, ac Principes in Germania, foris item in ſuo equitum comitatu æneatores habent in equis equitantes, qui æneis hemiſphæriis duobus, quibus membrana in morem tympani intenditur, vel progrediendo ſonitum dant, vel ſub cibi capiendi tempus humi poſitis ſignum faciunt, cui ſuccinunt tubicines vniuerſi.

10 Imperator, Tribunus, & magiſter equitum Belgicorum hunc in modum equitant thorace ferreo, cælati ferè operis, & teretem manu baculum veluti ſceptrum aliquod ad compeſcendos milites, ordineſque conſeruandos, vel honoris potius cauſſa geſtant.

11 Ludorū equeſtrium armatura, quos equiria appellat Ouidius, vbiuis ferè gentium cognita eſt, eademque eſſe videtur Italorum, Hiſpanorum, Gallorumque omnium & Germanorum communis. Hoc exercitationis genere omnes omnium Principum aulæ delectantur, & ad ſpectabilem animorum ac corporis fortitudinem corroborandam ſtudio eius efferuntur. Iſtud certaminis inſtitutum ab Henrico Saxoniæ Duce, id nominis primo Romanorum rege facto, in Germaniam allatum fuiſſe, editumque Magdeburgi primùm anno à Chriſto nato 938. Munſterus commemorat.

12 Si qua omninò eſt ceterarum gentium ingenua & laudabilis voluptas, ea prorſus nobilium Belgarum propria videri poſſit. Venationis enim & aucupij præter alias nationes & periti ſunt & ſtudioſi. Neque, vt apud alios fieri videmus, prædam illiberaliter (vt ipſi loquuntur) capere ſuſtineant, ſic, vt alibi cubātem feram, vel icere venabulo, vel pila plumbea

bea transiicere, aut sidentem volucrem telo petere, sed nisi canibus citatis, aut dimisso accipitre venationem adipisci non velint. Vestitus ceteruſque ornatus equestris accedit ad elegantissimos.

13 Fœminæ etiam nobiliores animi causſa istiusmodi habitu ruri obequitant, aut etiam venatione & aucupio reficiuntur.

14 Nobiles Belgæ quemadmodum etiam Itali & Hispani eodem ferè more vrbano equitant, aulam versus aut aliò quopiam. Stragulum atri coloris, quod dependeat ad pedes. vsque ephippio superimponitur. Principes autem & Comites stragulo etiam vtuntur multo auro argentoque intexto. Cauda equi in sericum aliquod elegans pulcerrimè nodatur: frenum fimbriis phaleriſque ceteris exornatur.

15 Belgæ Walones leuis armaturæ equites, quos vulgus Carabinos nominat, tormento vtuntur oblongo. Equos habent exercitatissimos celerrimoſque ad currendum, ad fossas saltu transmittendas, ad pugnādum, mirè sunt ipsimet audaces.

16 Francorum eadem & Belgarum arma sunt. Ferentarij milites exercitatissimi. Nobiliores hasta, & equo, vt etiam Itali merere consueuerunt.

17 Sic bini interdum nobiles in omni Gallia per vrbes soliti sunt obequitare.

18 Itali pariter ac Hispani, tum Belgici equites, quos à turmis ordinariis appellamus, hasta militare cōsuêrunt præpilata, galeis & thoracibus paludamentoque induti.

19 Hispani tamen, qui ad equites se rescribi volunt, plurimum nunc tormento vtuntur, quod vulgò muscetum nominant. Sagocucullo vestiuntur, & subligaculo è lana arctissimè coagmentata, quod deinde à cingulo dependeat in tibias vsque, cùm ad aëris pluuiæq. iniurias commodè perferendas, tum ad imbreis prohibendos ab ocreis. Quo cum Bardocuculli genere Franci etiam nuper equitare ad negotiationes suas cœpere.

19 Taurici certaminis præcipuè studioſi sunt Hispani, ad victoriæ lætitiæque alicuius singularis celebritatem cohonestandam. Deligunt autem planiciem aliquam, vt pueris nobis Gandaui eum cāpum, qui Hippodromus nominatur. Quom de illustrissimo Principe Ioanne Saxoniæ Duce superbè nimium veluti triumpharent, ibi septa quædam excitant, quò spectandi causſa mercede recipiunt honoratiores, omnemque planicię vndiq. contabulant, nequâ effugere Taurus possit. Eū deniq. in arenā immisſū equites splēdido ornatu progrediētes hastilib. impetere cominuſq. & emin⁹ cōfligere, donec belluā superarint atq. occiderint.

Sed

Sed aliquis interdum audentior ceteris, nimioque ſtudio conuulneran-
di inflammatus ab irruente bellua ipſemet trucidatur, pretiumque fert
ob oſtentandæ virtutis inſanam cupiditatem. Nam furẽtes alioqui am-
bitione animos Hiſpanorum ardentibus veluti ſtimulis concitat ad pu-
gnandum circumfuſa mulierum innumera multitudo, quarũ ſub ocu-
lis contendentes aut mortem cõtemnere facillimè aut vincere conſue-
uerunt.

21 Angli equites olim incomparabiles ſagittarij, magnam virtutis atque
induſtriæ opinionem habuêre. Hodie Gallorum Hiſpanorumque con-
ſuetudine baliſtarij ſunt, & tormentis vtuntur illarum gentium com-
munibus.

22 Hiberni equites neque frenis, neq. ephippiis vti didicerunt, ſed vel
auribus vel iubis apprehenſis admiſſoque equo auferuntur, magna cor-
poris parte multum admodum nudati. Arcu vtuntur & ſagittis, de late-
re acinaces pendet. Quod ſi Silueſtr. Giraldo Cambrenſi credendũ eſt,
Hiberni, quorum inſulam nunc Irlandiam nominamus, leuidenſa vtun-
tur furui coloris. Neq. enim aliam omnino lanã oues eius regionis ſup-
peditãt. Apice ſeu galero acuminato, ſed exiguo iſto caput tegunt. Equis
non vtuntur ephippiatis, non ipſimet ocreati, ſine calcaribus, frenos ta-
men iniiciunt, quales inter pabulandum detrahere non ſit neceſſe. Lan-
ceis etiam oblongis eos vti, & ſecuribus Giraldus oſtendit: ſed de pedi-
tatu loquatur an de equitibus, an ſimul de vtriſq. incertum eſt. Me pue-
ro in Flandriam tranſiecerunt, ſtipendiaque fecerunt Philippo regi Hi-
ſpanorum, quo tempore D. Quintini Fanum in Veromanduis expu-
gnauit. Sed pedites ferè omnes erant, qui pro tympanis ac lituis ceteriſ-
que aliarum gentium claſſicis ad vtrium ſonos inconditos gradiebãtur.
Eorum vna pars ægrè admodum Anglis ſubiecta eſt.

23 Moſcouitæ eodem ferè modo quo Tartari vario equeſtrium armo-
rum genere pænè dixerim obſiti, ad bellum procincti ſunt. Nam præter
arcum, corytum, pharetramque ingenti ſagittarum numero differtam,
claua, pugione, acinace, flagroque contorto veluti vndique coronantur.
Abollam geſtant lacinioſam ac demiſſam, multo goſſypio ſuffultã, non
ſolùm aduerſus ſæuitiam hiemis, ſed etiam contra ſagittarum impactio-
nes munitiſſimam.

24 Domi nobiles Moſcouitæ loricati ferè, galeaque induti, haſtis veli-
taribus peramplo ac magno ſcuto tecti pugnare conſueuerunt. Prælian-
tes celeriter in fugam vertuntur, iterumque conſiſtentes prælium redin-
tegrant more proprio Tartarorum. Moſcouitarum Dux (vti ſcribit
Munſte-

Munſterus 300000. millia nobilium equitum : Ruſticorum verò atque vulgarium millia 60000. domi habet conſcribere. Ex Roſauſca regione Tartarorum, quam ſibi is fecit vectigalem , equites 30000. Moſcouitæ pedes habent in ſtapiis , quas ſubiices pedaneos appellat Budæus, adductos, vt Tartari facere ſolent, & Ruſſi ocreis vtuntur breuioribus , è cotio vel rubei vel crocei coloris.

25 Tartari equites, vt etiam Moſcouitæ, pedibus adductis equitãt, quò ſeſe in quamcumque partem neceſſe eſt, facillimè incitent atque cõuertant. Primum maximo ſanè impetu in hoſtem ſeſe coniiciunt, deinde celeriter terga vertentes, ſagittis in hoſtem collineant inſequentem: mox denuò reſiſtunt, præliuḿque magnis animis inſtaurant. Si natura locíq. planities patiatur, in latitudinem quàm maximè poſſunt, aciem gaudent extendere, vt maximam telorum veluti nubem vno tempore omnes vndique queant contorquere. Arcum gerunt & ſagittas, clauam quoque læua tenent, & acinaces è brachij ſiniſtri carpo dependet, flagrum è digito, quo calcarium loco vtuntur . Equos quidem humiles ſed velociſſimos, laboriſ́que & inediæ admodum patientes habent.

26 Ruſſorum gens vt maxima longè eſt, ita etiam potẽtiſſima. 120000. millia equitum belli temporibus domi parare poteſt . Iaculandi peritia inter ceteras Hyperboreas præſtans eſt nationes. Equites maioré habent virtutis opinionem quàm pedites . Nobiliores loricati galeatíque peltas ferunt & haſtam pedes longam duodecim : Ceſtra quoque vtuntur & claua, quæ ipſorũ lingua Keſtis, Polonica Baſalicum appellatur. Enſem in vagina pænè totum habẽt reconditum , vt non facilè capulo prehendi poſſit. Frenos longioribus habenis laxãt, vt eas digitis ſiniſtræ manus molientes ſumma nihilominus dexteritate iaculentur . Simul etenim & frenos moderari , & arcu pugnare & haſtam ferre & verbere equum incitare didicerunt. Eum cui ſumma reipub. commiſſa eſt, vel principem appellari, vel præfectum facilè ferunt: Regis vocabulum capitali odio proſequuntur.

27 Lituanis equitibus fortiſſimi velociſſimíque equi ſunt, ſed cãterij fere omnes. Ipſi ſcutis vtuntur atque haſtis more non diſſimili Hungarorum. Sagittarij quoque ſunt, non contemnendi . Talaribus amiciuntur veſtimentis.

28 Poloni equites proxima ſimilitudine accedunt ad Hungaros . Eorum arma plurimùm haſta, ſcutum, acinaces. Ocreæ ſunt breuiores, calcaria verò oblonga. Veſtes demiſſæ & fluentes, equi maxima præſtant velocitate . De veſtibus tamen ſic habeto . Ἔνχονται ἐν τοῖς μάλιστα (ὡς εἰ-

** πεῖν

πεῖν ἔπω) ὁυνχαρίζειν. mutatque identidem ſuam veſtiendi rationem Hungarus, nunc enim talaria ei placent veſtimenta: nunc vtitur breuioribus, gaudentque in primis Poloni Hungarorum ſimillimè amiciri.

29 Hungari nobiliores ſuperbiſſimos optimoſque equos alunt, quod omnibus per Germaniam ſtudioſis equorum notiſſimum eſt. Equites ipſi bellicis ſanè laudibus abundantes amplum virtutis nomen adepti ſunt. Magnam illi capitis ſui partem, omnemque, præter myſtaces, barbam radunt. pileo vtuntur minimo, plumiſque longiſſimis, quas ab ſincipite ventilant in ſublime.

30 Gregarij equites Hungarorum ſcuto, haſta atque acinace ad pugnam procincti ſunt.

31 Valachi equites armis vtũtur non diſſimilibus Hungarorum. Equos habent indole generoſiſſima præſtantes.

32 Turcorum Imperator tali plerunque ornatu in vrbe obequitat quadringentis Solachis, qui pedibus ante eum ingrediuntur, comitatus. Septuaginta item aliis ſtipatus, qui ipſorum lingua Peichij nominantur. Ponè eum tres ſequuntur cubicularij.

33 Cadaleſci apud Turcos omnium litium ac controuerſiarum locupletiſſimi iudices ſummaque auctoritate armati. Eorum veſtitus Sericus eſt (vt vulgò loquimur) aut Damaſcenus, ſed coloris plurimùm fuſci: manicæ palliorum arctæ ſunt, ſed oblongæ; tiaræ multis voluminibus perplexę. Domi pariter ac foris equitant in mulis aut canteriis purpurei coloris ſtragulo ornatis. Ab omnibus aliis iudicibus iſtos Cadaleſcos appellant, quicunque lege experiuntur.

34 Alga tribuni militum Ianizerorum nomen eſt. Is ſeruos alit trecentos, qui continenter ei ad cuſtodiam corporis præſtò ſunt. Huius ordinis viro interdum Imperatoris Turcici filia collocatur. Militiæ Ianizerorum ordines ductant generoſiſſimo equo inuecti, cuius ephippium & frenum multis inſignibus phaleris inaurata, gemmiſq. nobiliſſimis exornata ſunt. Veſtitus eorum ſumtuoſus atque auro intextus. Ducentis equitibus præpoſiti ſunt, peditum verò millibus tribus.

35 Cechaia Protogero Algæ legatus mille prætorianis ſeu Ianizeris militibus præpoſitus eſt. is etiam ornatum geſtat eximium, multoque auro prætextum, præter alios inſigniter plumatus. In pilei parte anteriore aureum conum habet, è quo longiſſimæ elegantiſſimæque plumæ ſupra pileum in dorſum vſque non ſine aſpiciẽtium admirabilitate depẽdent.

36 Bolucus Baſſus cẽtum Ianizerorũ præfectus eſt. Huius ordinis circiter quadringenti ante Turcicum Imperatorem equitant honoris cauſſa, tantam-

tantamque habent ostentationem elegantia equorum, ceteris ornamentis, pulcerrimoq; ordine equitãdi obseruato, vt eorum (quem antea dixi) numerus nostrorum hominum mille equites superare videantur.

37 Leuis armaturæ equites ad audendum homines quam proiectissimi, ipsorum lingua Dellij appellantur; optimisque vtuntur & velocissimis equis, stipendium non merentur, sed quantumcunq. possunt, hosti eripiunt, quod omne ipsis propriũ esse permittitur. In adeũdis periculis laboribusque suscipiendis facileis sese præbent atq. audaces. Neq. vllum prorsus discrimen deprecari solent. Ex Illyria ferè omnes, quos nunc vel Seruios vel Bosnenses nominamus. Eam gẽtem scribit Herodianus incomparabili esse membrorum robore, sed malis animis, incomtis moribus, ingenio prorsus obtuso atque infelici. Vestiunt sese Dellij tunica & femoralibus ex pelle vrsina. Ocreæ eorum è corio crocei coloris, ad digitos acuminati. Calcaria vt ceterarum Turciæ nationum & longa sunt, & lata. Pileus è varia pelle leopardi. Ex ipsis aliqui interdum totam Aquilæ caudam anteriori pileo, alas scuto suo præfigunt, quò terribiliores videantur. Hasta plurimùm & acinace & claua armati sunt: equi eorum pellibus etiam insterni consueuêre.

38 Persarum equitatus virtutis opinionem habet singularis, totoque corpore est armatus. Conum gestant cum plumis in galeæ parte anteriore. Dextrum brachium armant impensiùs: eo enim lanceam gerunt vtrimque præpilatam, mediam manu comprehendentes. in equis sanè generosissimis equitant, quorum etiam toros & clunes aduersus vulnera loricis mirificè muniunt.

39 Nobiles Persæ equis vtuntur cataphractis: ipsi claua, arcu, & sagittis armati, galeam gestant vertice admodum acuminato, in cuius anteriore parte fluctuat manipulus plumarum.

40 Mammalucos nominamus eos, qui repudiata religione Christianorum, Turcico furori sese dediderũt. Istorum magnus numerus ex Italia, Hispaniis, Pannonia atque Albania in Turcicã quotannis transfugiunt. Hi piraticam in Christianos & latrocinia exercent, Turcisque magno vsui sunt ad militiam, valent præter ceteros equitandi peritia & exercitatione.

41 Mammaluci Ægyptij inter Medinam Mechamque præcipuè equitant, ad mercatorum proficiscentium itinera ab latrociniis defendenda.

42 Arabes nobiliores equas ad militiam alunt velocissimas, vt diem noctemque cursu continuato centum milliaria possint conficere. Ha-

ſtam ferunt vlnas longam duodecim exigua cuſpide præferratam.

43 Incolæ eius Arabiæ quam deſertam appellamus feri ſunt atque indomiti. Scenitas eos vocat Plinius, quòd in tentoriis commorantur. Ephippia vel ignorant vel certè contemnunt. magna corporis parte nudi equitant, viaſq. obſident ad mercatorum totos comitatus, qui Alcayram cõmeant, intercipiendos, qui Charaonæ ipſorum lingua appellantur. Eſt autem Charaona ſæpè 30000. camelorum, qui omni mercium genere onuſti ab hominibus 40000. aguntur, hos ſexaginta aut non ampliùs centum Mammaluci comitantur ad Arabes ſuſtinendos, qui interdum 30000. numero, in Charaonas impetum faciunt. Sed nudi ac miſeri homines à Mammalucis pauciſſimis facilè repelluntur, multis interdum millibus interfectis.

44 Maurorum qui ad Algeriam habitant equi ſunt totius Africæ præſtantiſſimi, quos ſine ephippiis, ſine freno, ſine calcaribus ipſi moderantur, ſolis habenis cõtenti, quas ſupra nares capiti equorum circundant: nudi toto corpore, niſi quæ natura quadam verecũdia voluit occultari. capita tegunt linteo contorto, quod offendice ſub mento reuinciunt: tres habent ſagittas, quibus collineandis exercitatiſſimi ſunt: lateri ſiniſtro acinacem quoque accommodant.

45 Sic principes viri in Ægypto obequitant.

46 Ita nobilis Alcayrinus & eius vxor equis iter faciunt.

47 Scythis tegmini ſunt pelles ferarum, magnum in illis ſtudium alienigenas interficiendi. Eius, quem in bello primum occidêre, ſanguinem bibunt: cùm plures occiderint, eorum capita ad regem deferunt, oſtentandæ virtutis cauſſa. Solent quoque (quæ iſtorum immanitas eſt) interfectis cutem detrahere, eaque induſij loco vti. Caluariis autem vice poculorum, haſtam ferunt & arcum & ſagittas & ceſtram & clauam.

Scytharum ebrietas & barbari ſtrepitus commeſſationum veteribus monumentis litterarum prodita eſt. vnde illud Anacreontis:

Ἄγε δῶτε, μηκέθ' οὕτω
Παταάγῳ τε, κ' ἀλαλητῷ
Σκυθικὴν πρόσιν παρ' οἴνῳ
Μελετῶ μὲν, ἀλλὰ καλοῖς
Ὑποσίνοντες ἐν ὕμνοις.

Plato lib. 1. De legib. Thracum ſimul ebrietatem notat, his verbis.

Σκύθαι δὲ καὶ Θρᾷκες ἀκράτῳ παντάπασι χρώμενοι γυναῖκες τε καὶ αὐτοὶ, καὶ κατὰ τῶν ἱματίων κατα χέομενοι, καὶ εὐδαιμον ἐπιτήδευμα νενομίκασι.

Hora-

Horatius rixarum quoque & barbararum inter pocula contentionum mentionem facit Od. 27. lib. 1. Carm.

Natis in vſum lætitiæ ſcyphis
Pugnare, Thracum eſt. tollite barbarum
Morem: verecundúmque Bacchum
Sanguineis prohibete rixis.

48 De hominibus nulla gens tam magno effertur ſtudio alendi equos, quàm Parthorum. Mercaturæ autem & agriculturæ nõ admodum dediti ſunt. Exteras nationes non facilè quiſquam adierit. omnis eorum vita atque exercitatio in equis, in curſu, in ſaltu, in venationibus, in bello conſumitur: fugientes etiam pugnare ſolent. Virg. Georg. 111.

Fidentémque fuga Parthum, verſiſq́; ſagittis.

Et Horat. Od. 19 lib. 1. verſis animoſum equis Parthum. Item Od. xiij. lib. 2. miles ſagittas & celerem fugam Parthi, perhorreſcit. Hinc ille Cicer. iocus ſcribentis ad Papir. Pætum. Itaque obtẽperare cogito præceptis tuis. Hoc ampliùs, nauicularum habere aliquid in ora maritima, contra equitem Parthum negant vllam armaturam meliorem inueniri poſſe.

49 Duo ſunt genera camelorum, de quibus alterum appellant dromadas, qui à ceteris nulla corporis parte differũt, niſi quòd in dorſo vnum tuber hirſutum, cameli autem habẽt duo. Dromades in Arabia tantummodo reperiuntur ſimillimi natura camelorum, niſi quòd ingrediendo currendoque ſint celeriores, & ad perferendos labores magis opportuni. Iſtud tamen vtrique generi cominune eſt, vt neque oneris plus imponi patiatur, neque longius iter faciat diurnum, quàm cui non impar eſſe poſſit. Ad quod ingenium animalis Hiſpanus quidam non inuenuſtè alluſit in ſuo quodam ſymbolo amatorio, cuius quidem corpus, (vt nunc loquimur) camelus eſt clitellarius, atq. onuſtus, qui humi procumbens, iam annititur ad ſurgendum: additque hanc animam vernacula lingua;

Non ſuefro mas de lo que peudo.

In quo primum illud reprehendi poteſt, quòd plura verba ſunt quàm numero quinque: tum, quòd ſuo, non alieno ſermone αὐνίττεται: ſi leges eorum noſtris ſuffragiis comprobamus, qui de ſymbolis præcepta tradere voluerunt.

Camelorum militaris vſus maximus ſemper fuit, ſed maſculi pariter ac femellæ, vt ſint ad belli ceteraque munia tẽpeſtiuiores, caſtrari ſolent. Coëunt autem auerſi, vt lynces, vt elephanti, vt rhinocerotes, vt tigrides,

grides, vt leones. Camelum incõparabili odio equus prosequitur. Nam quid acciderit Cyro prœlium committẽti aduersus Crœsum, & quemadmodum istis horum animalium inimicitiis victoriã adeptus sit, narrat Herodot. Κλεῖοι. sed præstat suauissimi scriptoris verba adscribere.

Ο Κῦρος ὡς εἶδε τοὺς Λυδοὺς ἐς μάχλω τασσομένους, καταῤῥωδήσας τὴν ἵππον, ἐποίησε, Ἀρπάγου ἐόντος ἡγεμόνος ἀνδρὸς Μήδου, τοιόνδε. ὅσα τῷ στρατῷ τῷ ἑαυτοῦ εἵποντο σιτοφόροί τε καὶ σκευοφόροι κάμηλοι, ταύτας πάσας ἀλίσας, καὶ ἀπελὼν τὰ ἄχθεα, ἄνδρας ἐπ' αὐτὰς ἔβησε ἱππάδα στολὴν ἐνεσταλμένους. σκευάσας δ' αὐτοὺς, προσέταξε τ ἄλλης στρατιῆς προϊέναι πρὸς τὴν Κροίσου ἵππον. τῇ δ' καμήλῳ ἔπεσθαι τὸν πεζὸν στρατὸν ἐκέλευε. ὄπισθε δὲ τοῦ πεζοῦ ἐπέταξε τὴν σᾶσαν ἵππον. ὡς δὲ οἱ πάντες διετετάχατο, παραίνεσε τ μὲν ἄλλων Λυδῶν μὴ φειδομένους, κτείνειν πάντα τὸν ἐμποδὼν γενόμενον, Κροῖσον δ' αὐτὸν μὴ κτείνειν, μηδ' ἢν συλλαμβανόμενον ἀμύνηται. ταῦτα μὲν παραίνεσε. Τὰς δὲ καμήλους ἔταξε ἀντία τῆς ἵππου τῆσδε εἵνεκα. κάμηλον ἵππος φοβέεται, καὶ οὐκ ἀνέχεται οὔτε τὴν ἰδέην αὐτῆς ὁρέων, οὔτε τὴν ὀδμὴν ὀσφραινόμενος. διὰ δὴ ταύτην εἵνεκα ἐστεσόφισο, ἵνα τῷ Κροίσῳ ἄχρηστον ᾖ τὸ ἱππικὸν, τῷ δήπου καὶ ἐπεῖχε ἐλλάμψεσθαι ὁ Λυδός. ὡς δὲ καὶ συμμῖξαν ἐς τὴν μάχλω, ἐνταῦθα ὀσφραντο τάχιστα τ καμήλων οἱ ἵπποι, καὶ ἰδόντες αὐτὰς, ὀπίσω ἀνέστρεφον. διέφθαρτό τε τῷ Κροίσῳ ἡ ἐλπίς. οἱ μέντοι γε Λυδοὶ τὸ ἐντεῦθεν διειλοὶ ἦσαν, ἀλλ' ὡς ἔμαθον τὸ γινόμενον, ἀποθορόντες ἀπὸ τ ἵππων, πεζοὶ τοῖσι Πέρσῃσι συνέβαλλον. χρόνῳ δὲ πεσόντων ἀμφοτέρων πολλῶν, ἐτράποντο οἱ Λυδοί.

Camelus vel totos dies noctesque quatuor aquatione carere potest, tam patiens sitis est. aquam priùs pedibus perturbabit, quamuis vehementissimè sitiat.

50 In dromadibus vt antè dixi, magno veluti gibbo dorsum adsurgit, in quo assident ad Orientem sagittarij duo, sic vt alter prorsum, alter retrouersum iaculari possit.

51 Elephantus Indicus hunc in modum ad pugnam instruitur. Imponuntur ei clitellæ, quæ cingulis duabus & antilena ferreis adstringuntur. Clitellis appenduntur arculæ duæ ex robore vel alio durriore ligno confectæ, quarũ singulæ capiũt viros treis. Inter vtramq. in dorso bellua sedet moderator, cuius ea sermonem auribus bibit atque intelligit. sic septem prorsus viri equitant in elephanto.

Elephanti etiam ipsi, nisi quâ vident, totum caput & proboscidem armati, qua gladium quoque stringunt in aduersarios palmi latitudine: longum verò vlnas duas. Iis gentibus, quæ ad orientem spectant, maximo semper vsui fuit elephantus ad militiam, sed è vulnere aut metu fugien-

gientem nemo facilè ſtiterit; ignium micantes flammas, leonum more, exhorreſcit in primis: iiſque in fugam celerrimè vertitur.

Cetera vel huius animalis, vel alius, vel etiam gentium hiſtoriam prolixius perſequi non patitur inſtituti noſtri breuitas. De Elephantis legi poteſt Polyhiſtoris caput xxviij.

52. Eques ex India Narſinganus.

PHILIPPVS GRVTHERVS SILVADV-
CENSIS HADR. DAMMANTII DISCIPVLVS.

EXegit monumentum ære perennius
Bruinus perpetua non ſine gloria:
Quod non inæquales procellæ
Innumeri minuéntuc ſoles.

Inſedabilibus deproperans rotis
Mauſolea dies ſtantia proruit.
Vires huic creſcunt ab annis,
Et pretium celerat vetuſtas.

BIBLIOTECA IMPR.

Tubicen Germanus.

B.P

Ein Trometer Nach teutscher vnd dem Brunswicher gebrauch bey dem fursten

Abraham d bruijn fecit 1575 I

Calator et honorarius puer Nobilis Germani.

Derr Adel Junger Wie fur denen grossen Herrn Rÿden

Equestris habitus Principis Comitis, vel Baronis Germani

Wie die Teutscher fursten Graffen vnd freyen Herrn reyten

3

Nobilis Germani habitus equestris.

Ein Teutscher Edelman wie sie inn felt rheijten.

Equestris habitus Germanorū.

Ein Teutscher Reijter In ijhrer Kleydung.

Equitis Gemani cacula.

Ein Teutscher Reyter Iung ..

Eques nigrantis armaturæ Germanorum

Die Teutscher reüter inn schwartzer rustung. 7.

Signifer equitum Germanorum.

Die reÿter fhann beÿ denn Teutſchen reuteren. 8



Æneator.

Die kessel drummelschlager.

Militum' tribunis Belga

Eijn Niderlanſche Koronell oder obriſte vber das fosuolck.

Cataphractus eques ad decursionem comparatus.

Die thurnier Rustung zum Ritlichen thurnier ſpill.

Nobilis Belgæ aucupa[illegible] torius habitus

Eyn Niderlansche edelman wie sie mit denn valcken ausrheyten.

Eques Belga ferentarius.

B.R

Eyn welsche oder Niderlansche reyter genant karabin. 15.

Eques Francus.

Eyn Franceusche reyter mitten langen rhor

Nobiles vel Franci vel Belgæ in opidis obequitantes.

Wie die franceusche Iuncker bey hooff reÿten zwey auff einem pherd.

Eques Italus.

Eijn Italianiſche reyter mitter lancen. 18.

Eques Hiſpanus.

B.R

Eyn Hiſpaniſche reyter mittenn langen rhor

Sic **Hiſpani** tauros *inſectantur*.

Wie ſie die ſpanier ruſten die ſtier zu iagen.

Reginæ Angliæ sattelles ferentarius.

Eyn Engelsche reyter die auf der Kunigin von Engeland wartten.

ZI.

418

Hibernus vel Irlandus eques.

Eyn wilde Ihrlansche rheyter. 22.

Moscouita cum armis equestribus.

B.R

Der Moscouiten reüter. mit seyn kriechs waffen.

1

Nobilis Moscouita habitu atque armis equestribus.

Eyn Edler Moscouiter in seyner rustung. 24

Eques Tartarus.

Eyn Tartarisch reyter.

Eques Ruthenus.

B.R

Derr Ruſſen reyter.

Eques ex Lithuania.

Ein Litauwer reyter

Eques Polonus.

Derr Poolsche reyter.

Nobilis Hungarus.

Ein Edelman zu roß in Vngerland. 29.

Die gemeine Vngersche reuter rustung 30

Eques walachus.

B.R.

Ein Reuter auss der Walachi

Soltanus Murathes Turc. Imp.

Sultan Murat Derr jetziger Turckischer Keyser

32

Summus et religionis et legum Iudex in Turcia

Cadileſquer ſeynt Oberſte Richter Bey den Turcken 33

Alga Ianizerorum in Turcia Tribunus.

Alga Ist ein oberste vber die Janitzer 34

Mille Ianizerorum

Tribuni legatus.

Chechaja protogero Oder leutenant Vber 1000.
Jomitzer

Ianizerorum Centurio.

Boluck bassi sint haupleut vber 100. Janitzer



Emissarius.

Der waech hals. Oder abenturer Delli genant

37.

Ein Edler Persianer

38

Ein Persianer reuter .. 39

Eques Persa.

B.R

Mammalucus seu apostata.

Der Mammeluck sint verleungde khristen.

40

Ein Mammeluck in Egiptia

Ein Vberste der reuter in Arabia

Eques siluestris Arabiæ.

Ein reuter in dem wilden Arabia



Eques Maurus in Algeriano regno.

Ein Morrhen reuter zu Algier

Arabs præcipuæ dignitatis.

Ein groſsen arabiſcher Herr auſs Egipten

45

A Cayro nobilis vna cum sua vxore.

Ein Edler zu alkeijr mit seiner frauw

Schyta.

B.R

Ein reuter auſs den land Schithia

47

Parthus.

B.R

Ein reuter auss Perthia

Ein asianische reuter auff denn kamelthier

Zweien mhoren reuter auff denn dromedarij



Septeni milites in elephanto Indico.

Siben mann reÿten auff ein Hellffant im krieg

A Narsinga eqũes Indens.

Ein Indianer reuter zu Narsinga 52



BIBLIOTH
ROYALE

DIVERSARUM GENTIUM
ARMATURA EQUESTRIS

1577

MESSIER